



D E
 INTERROGATIONIBVS
 LIBELLVS.
 P R O O E M I V M.

Quod *V*M aliàs saepe interrogationum genus damnauerim, quod fortuitum est, & legi nostra repugnans, multorumque malorum causam prabet, rem autem ipsam necessariam esse conspicerem, quod multi unum quæsitum scire cupiant, non autem omnia, ideo hac pauca à præscriptis non discedendo, subiicere volui. Illud ante omnia docens, hanc partem, vt etiam totum à quo decepta est, & naturalem esse & coniecturalem, ne quisquam plus ramis quam trunco, fidei adhibeat. Initium faciens à Regis vita.

QVÆSITVM I.

Rex quantum supernicturus sit.

Debeas habere genesim Regis: & iuxta illam iudicare. Quod si non habeas momentum inuenies quo cœpit posse imperare. Si enim sit legitimus hæres, horæ quo mortuus est prior Rex, seu pater, seu frater, seu proprinquus aliquis: Si autem electione fiat, quo electus est: Et tunc debes erigere figuram. Et eliges vt in genituris, Aphetam & diriges, & processus etiam facies, & ingressus singulis annis. Momentum coronationis ne oblerues: nam in facultate hominis esset facere vt Rex electus esset felicissimus & vitæ longissimæ, quæ potestas maior esset diuinis prophetis. Cum verò Rex sit per prodicionem, plerumque parum durat, quia talia fiunt silente Luna, vel à malefica obsessa, vnde regnum non potest esse diuturnum. Quod si non habeas horam primi consensus, quæres hoc à natiuitate filij aut filia primo genitæ, vel patris, aut matris, aut fratris, aut sororis: vt te docui. Et quanto plura habueris testimonia, eò securius feres iudicium. Quod coniecturale erit, firmitus tamen à genitura. Manifestum est etiam quando per vim Regno occupato, debeat sumi initium, quando per electionem, scilicet cum primum consenserint, quod in Pontificum creatione est obseruandum, quando etiam per successio-

pro Regno & dominum illius, sed pro Rege ascendens, & dominum illius, locus significat corpus & rem, domini consilium & animum. Si dominus ascendens conuenerit cum decimo loco, bene tractabit subditos. Si cum domino cœli Medij amabit magistratus & proceres regni. Si dominus cœli Medij in opposito fuerit ascendens, & malefica testis fuerit, proceres regni Regem occident. Et si idem contingat cum domino ascendens, descendent à Rege & illi aduersabuntur. Luna quoque administrationem & fortunam significat, & Sol regni cum Rege potestatem & dignitatem. Nam si Sol affligetur corruet regnum cum Rege, si Luna, erunt in regno multa incontinentia. Vnde decimus locus ac secundus substantiam Regis & regni significant. Et etiam inferuentes ministros nobiliores, humiliores 12 & 13. Generaliter benefica potentes & dominantes in locis luminarium cœli medij & ascendens Sortis ac minorum eorum felicitatem significant, malefica, damna, contentiones & iniustitiam. Malefica in septimo loco hostes communes Regi ac regno declarant. Regum primi ingressus ostendunt regni signum, quia est illud quod cum omnibus conuenit. Colliges etiam illud ex tractationibus. Si enim bonæ, conueniet, Si non, non. Velut si quis Regum vexet Anglos non erit signum Medij cœli eius, neque Aries, nec Leo, nec Sagittarius.

QVÆSITVM II.

Regis administratio qualis erit

Inicia sumenda sunt vt in vita, sed proprie ab initio regni non ab illis genituris neque propria, multo minus coniuictorum. Habito initio Regni considera cœli Medij

Tom. V,

QVÆSITVM III.

Reges an sint amici.

Non vt in primo ex genituris proprie, nec vt in secundo quaesito ex initio Regni solū, sed ex utroque conueniemus. Si igitur in genituris conuenierint loca principalia, vt dictū est erunt amici, & similiter si in initijs regnorum Medij cœli schema tū & domini etiā eorum.

A A a 3

E x

Ex utroque verò constat conuenientia Solis ac Lunæ, & Soris initiorum. Nam cum regna amica fuerint, erunt & Reges, quamuis priuatis genituris dissideant. Vt Regum Scotiæ cum Galliæ Regibus. Contrariis rationibus disident. Vt Scotici Reges cum Anglicis. Sors in figuris initiorum sumi debet, vt in priuatis genituris regnorum, constitutio fixa mutat geneses Regum illis etiam contrarias. Sicut etiam Regum geneses aliquid efficaciter decernentes regni. Quæ initia sunt in nocte, Solem tamen habent, Regis & regni significatorem, vt Lunam fortunam; sed plus in his habet virium administratio, quam autoritas, in diurnis contra.

QVÆSITVM IV.

Regum bellantium inuicem quis erit superior.

SI habes initia regnorum, hoc est optimum. Et si non habes habes initia in quibus tales Reges regnare cœperunt. Tertio loco est, vt habes initium deliberationis alterius eorum bellum gerendi. Quarto si omnia desint habes geneses & illorum, & præfectorum generalium. Vltimo si nullum horum habes à Marte testimonium accipies. Nec est in omnibus eadem ratio. Sed si habes initia vera regnorum deductis cœli Medij, & Solis per directiones locis, tum per congressus & ingressus ad tempus præsens considera, quod illorum ad loca felicia peruenerit, ex illius parte victoria erit. Si verò ambo ad infelicia loca peruenerint, contractis viribus in tertij forsan incidem potestatem. Si ambo ad loca felicia peruenerint variabit fortuna, & vtriusque sient accessiones, donec ad locum exitalem peruenerit alterum eorum. In initiis autem Regum considera vter Solem potentiorum & Lunam, & Martem habuerit. Et similiter quo duo prima per directiones, & processus, & ingressus peruenerint, apud robustiorem enim victoria stabit, si concors fuerit radix progressibus. Sed si discordans considera differentiam magnitudinem, nam cuius erit maius discrimen post multas ac varias fortunæ bellicæ mutationes, eius erit victoria. Quòd si progressibus in vnum coeant post diuturnum bellum pax subsequetur. A Luna habebis fortunam & administrationem belli. A Marte exitus præliorum. A Sorte commoda & pecuniarum abundantiam aut defectum. A Sole autoritatem & possessionem regni. Si verò habes deliberationem tantum dabis Medium cœli regno deliberantis, inum inimici, ascendens & dominum eius deliberanti, septimum locum & dominum eius inimico. Et cui fauerit magis Sol, Lunaque & beneficæ, is erit superior. Propterea bellum fauet deterioribus plerumque, quod si benefica dominetur non supersunt, nisi duæ aliæ beneficæ, quæ fauere possint, si malefica tres. Habebis & Sortem communem vtriusque vt Solem, & Lunam, & Martem. Si verò geneses tantum illorū habebis, factis directionibus & processibus

atque ingressibus alterutrum compara loca ad quæ peruenerint, validiora sunt & suæ origini à qua regnum cœptum est magis congruentia, superiora erunt. Quòd si ad fines vnius & eiusdem Planetæ peruenerint, qui loca benigno aspectu respiciat, pax sequetur. Quòd si nihil horum adsit. considera Martem, qui si sit orientalis à Sole & abside, vt aliàs te docui, orientalis Rex superabit, cum contra, occidentalis. Si Septentrionalis descendens, vincet Rex Borealis ad Australiorem domi expectantem accedens, si ascendens vincet Borealis ad Australiorem venientem expectans. Si Meridionalis ascendens, vincet Australior iens ad Borealiorem domi expectantem, si descendens, Australis domi expectans vincet Borealiorem ad se venientem. Si mutuo sibi occurrant, Si Mars fuerit Septentrionalis descendens, vincet Borealis, Si Meridionalis ascendens Australior. Aliter anceps erit iudicium. Hæc tamen coniectura lenior est. Si verò plura ex his nota fuerint, veluti initium Regis & deliberationis, confer deliberationis schema schemati initij regni, & si congruit, bonum est & felix bellum. Si inconiuncta sunt loca principalia aut contraria, infaustum pro eo succumbetque aduersario. Præterea considera eclipses præcedentes, & inter medias cui fauent pronuntia aut aduersantur. Vltimo animaduerte quod bella quædam sunt potius inter Reges, quàm regna, vt inter Italos, alia inter regna potius quàm reges, vt inter Anglos & Scotos. Alia inter vtrumque, vt inter Turcas & Christianos. Et vt sunt ita à propriis initiis maior habetur significatio exitus.

QVÆSITVM V.

Bellum an erit in patria.

Videas primo ab eclipsibus, & constitutionibus generalibus, an aliquid exitiale patriæ præendant. Inde etiam videas generis principis, & quomodo se habeat in directionibus, processibus & ingressibus. Et in comparatione ad alios principes. Et si Princeps aut regnum habeat Martem cum Sole ager multa bella. Si in opposito sustinebit. Si in opposito Lunæ multa seditiones in populo parietur, & erit sanguinarius. Animaduerte etiam prodigia de cœlo vt Cometas, & ostenta, non vt omnia, sed vt effectus similes ab eadem causa procedentes.

QVÆSITVM VI.

In Monomachia, & lite quis victor erit.

SI vtriusque generis habueris conferes schemata, directiones ac processus cum ingressibus, inuenies etiam causam inimicitie & litis. Videbis etiam in monomachia, quis habeat signum mortis aut vulnerum. Plerumque enim & si non semper, tales succumbunt. Vide etiam significatores locorum Solis, qui sunt superiores iuxta apogon suum in

monomachia, in lite autem locorum Lunæ, nam superior significator superiorem in contentione narum facit. Hæ autem plerunque, non semper.

Quod si vnus tantum habes genefim, vide eo tempore quo Sol & cæli Medium perueniunt. Si enim ad loca beneficarum, honorem significant & idè victoriam. Si maleficarum, contrarium. Memineris autem, vt dixi, vt non solum directiones, sed & processus & ingressus obserues. In litibus autem pro Sole habeto Sortem. Quod si neutram habes genefim, considera momentum quo deliberatio facta est firma, & inconcussa pugna, erigeque figuram, nam illa deliberatio non est vt interrogatio, sed causa naturalis, erecta figura consule eam dando primam & dominum eius deliberanti, septimum locum aduersanti. Cæli medium & dominium eius iudici, Solem, Lunam & Martem ac beneficas communes illis. Victoria enim vt plurimum apud eum erit cui maximè fauebunt. Beneficæ incolumitatem, Sol honorem & palmam, Luna bonam fortunam & populi applausum, Mars fortitudinem & agilitatem ac robur præstat. Sed & si diem pugna, vt primæ deliberationi concordat animaduertas facilius de victoria diiudicare poteris. Caue etiam vt singulas horas illius diei consideres.

QVÆSITVM VII.

Tempora qualia erunt?

Pro his oportet te consulere diligenter omnia scripta in secundo libro, & maxime scire ortus syderum & occasus, & ventos, & phænomena, & reliqua.

QVÆSITVM VIII.


Annona pretium quale erit?

Hoc quaesitum difficile est, sed tamen in tribus regulis constat. Prima est vt consideres deliquia luminarium & prædominantes Planetas & fixas, vt ibi dictum est, vbi de hoc tractatum est. Secunda considera in arboribus germinationem, sprem, & maturitatem non exactam. Considera etiam quale tempus vniuique conueniat, inde ex præcedenti problemate qualitem cuiusque horum temporum vt futura sit. Si conueniant erit abundantia, si discrepant sterilitas, si immodicè discrepent, erit maxima penuria illius rei. Docui etiam pro hoc & præcedenti signa in libris de Subtilitate. Vltimò consule an erit bellum in patria iuxta quaesitum quintum, an pestis, vt in succedenti, etenim belli pretia augere solet, pestis minuire. Dices magna negotiatio? Nil mirum, nam nec exiguum præmium propositum est. Sunt autem pares plerunque præmiis labores,

QVÆSITVM IX.

Pestis an in patria erit?

Considerare oportet eclipses præcedentes intra biennium vel paulò plus. Et vt rem exemplo habeas pono schœma eclipsis, quam maxima pestis anno 1524. sublecuta est. Vt intra trium mensium spaciū scilicet à medio Maij ad medium Augusti absumplerit in vrbe nostra sola 30. milia hominum, in tota autem prouincia quod Mediolanum Metropolis sit ad 100. millia. Primum igitur videndum cur tam læua pestis extiterit? Mercurius cum Sole infelix in opposito Lunæ, Saturnus cum Luna & in Mercurij opposito, Mars autem vtrumque respiciebat è Scorpione virulento, signo, Aberat Iupiter, aberat Venus, quid deterius posset excogitari non intelligo. Cæterum cur Mediolano conueniret ascendente Leone? ab-



initio deliquij vsque in finem Italiae minabatur. At hoc non magnum est, cum Ptolemæus signum deliquij obseruet, non ascendens. Deliquij signum igitur Pisces fuisse credendum est aliquo modo Mediolani conueniens, nec quæ præferitur origo est vera. Tunc vetò nullibi in Italia peste laborabatur, præterquam in nostra prouincia. Ex quo colligitur modus habendi loca principalia ciuitatum; ex illarum scilicet frequentibus obseruationibus, tam calamitatum, quam felicitatum. Ex hac enim sola obseruatione habemus quod nostræ ciuitati, aut Sol, aut Luna ascendens fuerunt in 12. parte Piscium, nam exquisitam conuenientiam declarat magnitudo effectus.

De initio vides, quod eclipsis initium distabat ab ascendente quatuor domibus & dimidia: Fuit enim in medio octauæ domus, dando duos menses pro singulis domibus erunt nouem menses, quos si numeraueris ab Augusto, incident in Maij sequentis anni initium. Tempus autem effectus iurauit mensibus tribus, & dimidio iuxta tempus eclipsis, quod fuit horarum trium cum dimidio, ab initio scilicet Maij vsque ad medium Augusti iam exactum.

Vtrum dices cur magis pestis, quam bel-

lum, aut, fames, vel alia calamitas? Respon-
deo, Sol fuit in humano signo cum Mercurio,
& dominus loci, & antecedens angulus,
& reliqua quæ digna sunt consideratione.
Sed & effectus magnitudo cum Mars esset in
proprio loco significata, non potuit nisi à
peste procedere. Scorpio etiam veneni &
februm pestilentialium author est. Nam
ab annonæ penuriam repente non contingit
in hominibus magna clades: Cum igitur re-
pente in hominibus, ex veneno clades de-
nuntiaretur à peste illam provenire necesse
fuit.

QVÆSITVM X.

*De navi an infortunium
patietur?*

Sæpe hoc dubium in medium adductum
est, nunc dilucidius explicabitur. Vide
qua iter factum sit, & quo tempore, qui-
nam venti, quæ constitutio regnabit: in ea
maris regione, & iuxta id indicabis, quod
ad fortunam tempestatis atinet. Velut &
in regionibus provinciarum: non eclipses,
non luniarum coniunctiones, & opposi-
tiones præferbis, atque alia quæ hic pro his
consideratione digna sunt. Ut erraticarum
potestatem & inerrantium præsentiam, &
exortus atque occasus diurnos syderum. Sed
pro latronibus genefim domini navis, aut
eius qui navim suo nomine conduxit habe-
bis, & diriges Aphetas & Sortem, quæ si in
loca itineris inciderint, rectè egisti, si non,
non. Si igitur in loca itinerum incidant, vi-
de eo tempore per ingressus, & processus si
beneficæ dominantur, & tunc securitatem
pollicearis, si maleficarum, aderit periculum.
Et ita coniectaberis, non firmiter indicabis.
Nullum enim quæsitum hoc ipso est magis
anceps. Verum si his præsidis carueris, ho-
ram deliberationis accipe, & iuxta eam indi-
cabis. Semper verò maleficæ dominantes, &
à natura sua non alienæ, sed puræ ventorum
& maris impetu pericula, quæ rarius per-
dunt, adducere solent. Aliis autem commix-
tæ non eiusdem naturæ, aut tantum eleuatæ,
sed non dominantes, aut dominantes in op-
positis suarum dignitatum, aut omnino locis
peregrinis ut in Leone Mars, (vbi nec in eo,
nec in opposito signo, præter fines, nullam
habet potestatem) in constanti ætate mala
violenta afferre solet, & neces. In ætate au-
tem puerili & foemineo sexu, violentiam oc-
cultiorem, sed non ad eò exitialem aut ma-
nifestam: Ut carceres, stuprum, verbera, ve-
nenum, servitutem. Et hoc, ut dixi, vbi extra
propriis fines fuerit. Non obliviscaris autem
generalium calamitarum. Ut enim in terra
bellum, ita in mari piratæ.

QVÆSITVM XI.

Iter an erit tutum & utile.

Quæ in ingressu maris observanda esse
didicisti, eadem in terrestri dicta existi-
mato. Et si iter sit per loca latronum & bel-
lorum, exigua indicatio ex loco ad quem di-
rectio pervenit, sufficet. Si ad loca & per lo-
ca tuta, opus est maiore indicatione. Bene-
ficæ quoque dominantes & puræ, præstant
multos comites pauperibus & fidos divitibus
familiares, & ob id tutum iter. Sed à male-
ficis superatæ infidos comites & perniciem,
ob id atque iacturam. Maleficæ dominantes
propter solitudinem declarant pericula. Sem-
per Aphetæ vitæ pericula adducunt, Sors
autem spoliari decernit & bonorum amissio-
nem minatur, tam in præsentis quæsitio, quam
præcedenti, si in maleficarum potestatem in-
ciderint aduersantium hæc loca, directione,
processu, ingressibusque.

QVÆSITVM XII.

Æger an sanabitur?

Si quispiam quærat de ægrotante an sanabitur?
Vide an in genefi ægri Aphætæ ad Anæ-
retam perveniat directione? An processus
incumbat cum alicuius Aphætæ etiam non
principalis directione? An Luna in anni
reditu ad locum peremptorium deveniat, seu
cum directione non principalis Aphætæ, seu
cum processu, seu cum debili omnino geni-
tura: & tunc de morte pronuntiabis. Debi-
lis genefis in qua nullus est Aphæta præter
horoscopum, & ille absque beneficis ear-
umve radiis. Et si maleficæ super terram fue-
rint deterius est, quoniam radij inimici loco
corporum aduersantur. Quod si genefi careas,
loco eius initium morbi accipies. Tunc con-
sidera quæ de hoc, loco suo, scripsimus.

QVÆSITVM XIII.

Furtum quis fecerit? an inveniatur?

Adeo despiciunt homines, ut res, non à
veritate, sed pollicitis, æstimant. Nulla
profus est via, ut hoc haberi possit, cum præ-
ter id multa mala subsequantur. Quidam
enim ex interrogatione hoc venantur: Sed
quid habet interrogatio cum re ipsa, quæ
iam præcessit? Sæpius diximus astra esse cau-
sas non signa. Sunt corpora, sunt nobilia, sunt
potentia, & valida.

QVÆSITVM XIV.

Electiones an profint?

Simili ratione quæsitum est an electiones
sprofint? Videtur enim quod profint, quo-
niam figuræ quædam aliquid facere videntur
ad

ad renum dolores & calculum. Præterea in monomachia diximus si dies congruat primæ deliberationi, bonum esse: At constat diem eligi posse. Sed figura vt figura est artificiosa, vni agendi non habet: quomodo igitur electio proderit? Dicemus igitur actionem in substantiam cum electione aliquid posse, non quia figura est, sed quia actio. Sen enim canem seu leonem seu montem ea hora sculpserris, idem erit. Si figura confidas, non solum vanus es, sed superstitiosus: Quod & B. Thomas sensisse videtur. In monomachia aliquid facit electio, sed non secundum diem, verum quia ante vel post aduentum directionis aut processus, aut ingressus. Sed & vtriusque ratio habenda est. Est igitur hoc infinitum & incomprehensibile. Vt amissa occasione sapius damna quam vtilitatem afferat. Verum in annis & actionibus naturæ etiam momentaneis magnam afferre potest vtilitatem. Velut si hoc anno, non præcedenti, volo quiescere in patria. Est & hoc difficile propter concursus. Ob id in naturalibus electio manifestè prodest. Vt si quis ætate ferat aut putet, rideatur. In voluntariis si felix sit sequatur naturæ & animi impetum: Si infelix frangat & fugiat: non solum occasionem sed etiam per se rem ipsam.

QVÆSITVM XV.

De gratia à Principe obtinenda.

Quæritur an gratia à Principe obtinebitur? Vt pote an exilium ab exilio reuocabitur? an qui est in carceribus liberabitur? magistratus an obtinebitur? Sunt & qui in his horam præstituant eligendam. Omnia hæc, vt dixi, in præcedenti quæsitio operari sequi debent si felices sint: si infelices tunc electio inuat non vt salutaris, sed vt vitans impetum syderum aduersantium. Quæremus igitur in horum genituris, quomodo eo tempore ingressus, directiones & processus se habeant, Sortis pro diuitiis, Solis pro magistratu & Medij cæli, Ascendenti pro exilio & carcere, atque ita in aliis.

QVÆSITVM XVI.

De cogitatione, seruo, opificio.

Et si quis desideret videre magnum experimentum, vt sciat quid cogitet Princeps: habitu eius genesi & deducta per directiones, processus & ingressus iuxta annos, menses, dies, horas & momenta, consideret loca Mercurij, & Lunæ, & dominos loci aut eleuatos super locum cuiuslibet eorum: Et erit cogitatio maior anni iuxta anni initium, & ita mensis, diei & horæ. Et vbi concordabunt rami cū trunco, poteris diiudicare, & si discordant, non. Et Saturnus bene dispositus facit cogitare de ædificiis, ducendis aquis, hæreditatibus, & laboribus. Iupiter de honoribus, diuitiis, & magistratu: Mars de itinere, fabrica, & militari dignitate: Venus de donis, volu-

ptatibus, ornamento: Mercurius de artificij subtilibus, scientia atque doctrina. Saturnus cadens & infelix, de morte, luctu, miseria, desperatione: Iupiter de luxu, misericordia, patientia, & superendis incommotis: Mars de furtis, ludo, superum contemptu, serendis discordiis: Venus de infami libidine, ganeis, & scortis: Mercurius de furto cauto, deceptione, mendaciis. Quod si Saturnus fuerit potens & male dispositus, de consiliis, calumniis, oppressione miserorum. Iupiter de ambitu & pompa, & prodigalitate. Mars de cade, incendio, rapinis, vindicta. Venus de stupris, ebrietatibus, dissipandis bonis. Mercurius de accusationibus venenis, & maledicendo. In seruo, visa illius genesi, vide quomodo conueniat cum domino & loco duodecimo. Si non habes eius genesim, facta directione, duodecimi loci & processu, & ingressu, iuxta illa iudicabis. Pro opificio, eligendo filio, vel alteri: considera qualitatem opificij iuxta naturam Planete illud significantis, in genesi filij, & illi eum adhibebis. Quod si genesi careas & locum mutauerit in ea regione mansurus, considera eodem modo tempore deliberationis transmittendi illum. Et si non, cape tempus aduentus. Et si multos inuenias Planetas eiusdem causæ significantes, seu in seruo, seu opificio, seu cogitatione, miscebis illorum significata. Et ita dices de quæsitis aliis similibus. Et scias quod concordia significatorum in diuersis temporibus, aut modis, docet quod causam inuenisti.

QVÆSITVM XVII.


Coniuges an se diligant?

Cum loca luminarium, dicit Ptolemæus, concordauerint & eo magis si sint commutata, vt locus Lunæ viro sit, locus Solis coniugi: tunc se diligant, maxime si beneficæ loca hæc respexerint. Verum dico quod Lunæ oppositio etiam amicitiam afferre solet, Sol autem nunquam. Præterea ascendentis & Sortis conuenientia, ad amicitiam & concordiam plurimum facere solet. Nam si hoc inter ignotos & maculos facere potest, quanto magis in coniugibus?

Et vt huius rei exemplum rarissimum proponā (nam rarissima solum me propositurum sum restatus) subiungo bifariam exemplum imò trifariam admirabile. Primum quidem narranda est historia breuissimè, deinde colligenda ratio horum. Fuerunt Francisco Gallorum Regi filij tres, Franciscus maior natus ad quem regnum pertinebat, Henricus medius, & Carolus natus ultimus. omnibus videntibus, cum pater potuisset Regij sanguinis uxorem, & cum ampla dote secundo genito dare, dedit suam Pontificis Clementis, illius neprem (& antequam primogenitus nupsisset, quod & non parum illius nuptiis detrahebat) filia priuati cuius nec satis nobilis, nam Florentini nobiles illos inter sese habere negant, quod sapius plebs patricias vrbe expulerit, & quod omnes mercaturam exercent. Itaque cum Franciscus natus maior casu, vi-

uente

uente patre, dececisset è viuis, aderat & hoc malum, quod Caterina sterilis erat, diuortium pater meditatus, amore sincero coniungis seruata ab innumeris quæ imminabant periculis atque retenta est. Inde suscepta sobole non pauca auxilio herbarum etiam, mortuoque focero, nunc regina viuitt & si vnquam charissima coniugi, nec solum Regina, sed Regi mater. Quæ prius sine dote, sine sanguine nupserat, magno miraculo atque multiplici, ita volentibus Fatis. Nam ex hoc coniugio tanta fax exorta est, cum duo maximi Principes Cæsar & Gallorum Rex simul sanguine iungi nequiverint, vt manifestum sit superos spontè hos disunxisse, illos coniunxisse.



Supputatas has geneses à Luca Gaurico diligentius, facile est conicere. Facit autem Lunam orientaliorem sex partibus ephemeride, in secunda figura. Sed ad rem deuenio, Luna in Regis genesi sub radiis. Solis iuncta Venere in quadrato Saturni quem euaserat, humilem vxorem, sed formosam & gratis plenam indicabat. In genesi priuati, cœlibem fecisset. Ipsi verò vxori non Sol, sed locus septimus in quo Luna, Iupiter & spica Virginis in vnum coierant iuxta Ptolemæi decreta, adeo manifestè regem coniugem declarabant, vt nihil magis, quia Luna trigoni Solis domina prima fuit. Diximus talia à trigonis maximè sumenda, quanquam etiam esset altitudinis & carpenti. Constantis autem ætatis, quod est secundum ascendens ascendenti, Soli Soli, Venus & Iupiter, tamen in eisdem locis, tamen luminaria respicientes aut iuncti illis & Luna opposito in loco & congruenti scilicet septimo. Nec plura possis optare nec sperare. Saturnus verò in omnium penè quadrato eleuatus ex hoc coniugio quot tristitias, curas atque eas diurnas, & stabiles, quas interfuisse necesse est, denuntiat.

Quod ad singulares status attinet, cum Luna in reginæ genesi sit iuncta Ioni & spicæ Virginis, quæ est de natura Veneris & Mercurij, significat mulierem planè probam, sapientem, mundam, diligentem, coniungis & filiorum amantem, moribusque nobilibus gratiosam, & decoram. Quod ad Regem, venior à Fatis quicquam dicere. Sed Iupiter in occidente Regnum decernit cum esset secundo genitus. Erit certè senectæ tanto felicior,

quanto etiam plura expertus fuerit. Saturnus sic constitutus vicissitudinem in rebus gerendis maximam pollicetur: Quod si in cœli Medio esset, nec duo quadrati vim suscepissent



fextilis & trigoni, multò firmitiora & maiora mala decerneret. Iuxta igitur directiones, processus & ingressus, alternabit fortuna. Quæ & si æqua lance mala cum bonis distribueret, multò tamen magis læderetur malorum recordatione, quam bonorum voluptatem capiet. Porro hanc quantitatem metiri & longissima res est, vt dixi, & extra præsentis negotij propositum, cum obiter hæc, vt dixi, tractauerimus, hic & nunc vetamur à Fatis.

QVÆSITVM XVIII.

Coniugum quis prius morietur?

Eadem ratione si quæretur vter coniugum supererit dices illi cuius vita per genefim in tempus tardius protrahetur. Eadem ratione si vna tantum genitura nota fuerit, videbis quot vxores aut maritos sint habituri, & ex hoc duces coniecturam. Quæ enim tres est maritos habitura si vitam habeat primo & secundo necessario superstes erit. At dices quid certi? nam cum tres habitura sit maritos, non secus potest ante mori, quàm qui in infantia: præscribit enim mors omnibus. Et si dicas ætatem adesse oportet, quæ & ætas tribus maritis erit sufficiens? Viuacibus ne centum anni, breuis vitæ vel vnus annus. Propter id dicimus eos, qui aliena sectantur rerum principia, non habere quod dicant. Nobis satis est huic esse inclinationem ad plures ducendas vxores, alteri ad vnicam. Si tamen incidat vir in viuacem vxorem, nec omnino ad decrepitam perueniat ætatem, vnica contentus erit: loco verò alterius, locumque cœlo pulsa pellicibus dedit. Si vera neutram genefim habeas, ex primo consensu coniectaberis vtrum luminarium meliore sit conditione, quo ad angulum, & locum, & alias stellas. Diriges quoque vtrumque & ratione inita occurfus in temporibus, & magnitudine impedimenti iudicabis quis sit superfuturus.

QVÆSITVM. XIX

Pregnans cuius sexus factum habeat?

Tertissima via ex ventris inspectione habetur, inquit enim Hippocrates masculi in dextris, feminae in sinistris. Quod etiam ex mamillarum differentia dignoscitur. Sed hoc & præcedens signum ut certissimum est, & vix vnquam fallit, ita plerisque anceps, cum discrimen hoc tam exiguum sit, ut non nisi longa consuetudine dignosci queat: Estque velut gemmarum notitia. Collocare oportet mulierem supinam ad amussim, & ut in luxatis pedibus exquisitissime laterum comparationem habere. Quæ, ut dixi, cum medicos expertos in luxatis fallat, nihil mirum, si vbi obscurius est discrimen, & experientia longè rarior, homines hæsitent. Contingat tamen, licet vix in viginti prægnantibus vnã, dextrum latus turgidius, & tamen femellam in vtero habere, aut conuerso modo. Idem de mammis. Sed hæc extra artem. Ex arte sunt directio, processus & ingressus in loca masculina pro masculis, in feminina pro feminis, pro patre aut matre, tunc pro vtroque. Aliud si hoc præsidio careas horam conceptionis habeto, erige ascendens, & vide qui Planetæ loco ascendens & Medij cœli dominantur, & qualiter affecti iuxta duplicem modum sexus. Quidam existimant succedentes fratrib. aut sororibus, Luna tendente ad nouilunium masculos esse, ad plenilunium feminas. Melior ratio habetur ex natiuitate fratrum præcedentium, ad quos Luna applicat, si masculini sint natura, signo, quo ad mundum, & quo ad Solem, aut feminini. Et similiter dominos loci Lunæ, & cœli Medij coniectura accipere oportet, non solum secundum quatuor modos sexum decernentes, sed & magnitudinem illorum, aut intensionem qualitatis. Exerceri autem prius in his oportet quam indices, ne damno tibi sit ars non lucro. Solent enim Antuerpiæ & Lugduni mercatores magnas circa hoc deponere pecunias, certandi causa.

QVÆSITVM. XX.

Filius an sit eius patris cuius creditur. Et an fama sparsa sit vera?

Quod ars hæc coniecturalis sit, & hominum comparatione ambigua, sæpe diximus, quo fit ut apud multos talia damno fuerint. Inicere enim suspicionem filij spurij, adulterij vxoris, neque tutum est, nec sapientis officium. Propterea etiam si ars ad huiusmodi extendatur, haud tutum est ei aut prudentis insistere. Inde enim cædes, suspensiones, veneficia, abiectioesque filiorum exoriuntur. Innisa fuit mathematica, olim propter hoc, & nunc quoque si talibus studeamus, astrologia. Quamobrem omnis scientia bona non omni suspitio aut con-

iectura. Hoc igitur vnum est ex his quæ nescire præstat, sed de rumore, ut plurimum iuxta initium existimandum erit, nulla tamen ratio firma de hoc tradi potest, cum non ex illo initio, sed ex consequenti voluntate & genitura illius qui eum profert ac directione, talia exoriantur. Iraque quædam sunt quæ omnino nescire præstat, ut de filiis, quædam quæ nesciri possunt, ut de furto, quædam quæ paruam habent coniecturam, ut de rumore, quædam quæ difficillimam, ut de cogitatione, quædam magnam, ut de Regis vita, quædam exquisitissimam, ut de ægto, quædam optimam extra artem tamen, ut de prægnantium fœtu masculino aut feminino. In quibusdam etiam iuvat electio, ut in figuris ac sigillis. In aliis electio & interrogatio, ut in ludis. Vincunt enim plerique qui Lunam ludendo fronte aspiciunt, & eò magis si felix illa fuerit. In interrogatione autem ultra præscita directionum & processuum atque ingressuum, quando primum congregiuntur, & primum deliberavit si sanctum tempus sit directioni, aut congressus deliberationi. Congressus in hoc significat, quoniam non cunctis fit per electionem. Si enim eligatur ab vno aut vni obedientibus nihil prodest. Si autem à contrariis, validus est: quemadmodum & in bello si quis locum aut occasionem in perniciem suam eligat, ab illa frangitur & superatur.

De electionibus, & in quibus proficiant, & quæ generaliter seruanda.

Conferunt maximè in naturalibus, aliquid etiam in ludis, ut diximus, facere videntur. Naturalia sunt septem, satio, plantatio, insitio, sectio lignorum, nauigatio, medicamentum purgans, medicatio cum ferro vel igne. Fiunt in rebus naturalibus & coadiuuante natura. Non ut coniugium, lis, educatio, eruditio, & talia. Quatuor in omni electione generaliter obseruanda, artis ratio, utpote ne medicamentum dederis crudo morbo, ne nauiges navi corrupta, ne ludas ignorans ludum, ne feras æstate media: Atque eo modo hyeme nauigatio difficilis in oceato à Calendis Nouembris per totum vsque Martium. Scias etiam & conuenientia arti ex propriis, ut quoniam iuxta littus Africum Augusto ac deinceps procellæ sæuiunt, in quibusdam etiam locis venti orientales certis temporibus, ut tunc absurdè in orientem sis nauigaturus. Scias etiam exortus lyderum atque occasus, quid valeant ea in causa & quando contingunt. Præterea conuenientia secundum naturam, utpote quoniam sationes & plantationes, ac insitiones sicco indigent non humido: ludens ne decipiatur, aut alea falsa ludat, aut cogatur falso iudicio.

De electione, in satione, plantatione & insitione.

Quocumque in signo Sol positus aut signi parte, in ea regione feliciter id opus admittit, in eodem vicissim ☽, trigono aut sextili Saturno congregiens, maximè à Solis radiis libera, fauet operi. Atque precipuè in secunda quadra plantare arbores conuenit. Cane autè ne maleficis malè constitutis congregia-

tur. Marti etiam quocumque modo. Elige etiam *vt*) sit supra terram.

De lignorum sectione.

Caduntur silente Luna in coitu cum Sole & sub terra posita : optimè sub nouissima Bruma , deinde sub exortu Canis.

De nauigatione.

Non congregiatur Luna Marti , nec syderibus illius naturæ. Nec procellosis vt Orion , Arcturus , vterque Canis , Hædi , Hircus. Obseruandum est autem maximè ne eclipsis , aut coniunctio luminarium , aut oppositio proximè præcedens prælagiat tempestates.

De medicamentis exhibendis.

Medicamenta vocare solemus , quæ selectum humorem purgant. In his humida signa & aquea eliguntur , & mobilia , optimum igitur Cancer. Contra sicca & calida , & fixa : pessimum igitur Leo. Et sicci Planetæ & tardi motu : pessimus Saturnus & Mars , post Iupiter & Sol. Optima Venus & Mercurius , & si Luna vacua cursu fuerit (Semper autem de Luna , quæ in signis sit aut Planetis configuretur , est intelligendum.) In ruminantibus Ariete , Tauro & Capricorno solet vomitum excitare. Cum Planetis stantibus , vt cum tardis parum agit , imò minus quam in illis , & cum illis.

De medicatione per ferrum vel ignem.

Experimento deprehensum est , quod tales operationes si fiant , Luna signum illud , quod membrum respicit corporis , possidente , non sine evidenti noxa opus id fieri. Præsertim si in sectione Saturno aut vitione Marti societur. Et si malè dispositi sint , non absque periculo.

De ludo.

Considera primum impulsus mentis , & si Luna sit in congruentibus , & illis associata vel genitura comparatione , vel per se , vel experimento , ibis : aliter non. Eligere etiam præstat locum Lunam bene fortunatam ascendentem , intuentem.

De modo seruando in prædicendo.

Oportet nouem condiciones seruare , ne si sinistrè hæc arte vtaris , non solum gloriam & vtilitatem nullam afferat , sed etiam damna & pericula magna. Ascletarion , vt dixi , à Domitiano : & alius à Galeazio Sfortia occisi sunt ob prædictionem. Thrasybulus à Tiberio parum absiit , quin in mare præcipitaretur. Hieronymus Cutica ciuis noster in exilium ob prædictiones à Gallis pulsus. Et si capi potuisset de vita actum fuisset. Gayricus à Bentiolis tortus in eculo. Id certè ex astris non viderat , quamvis excidium familia omniaretur , plus ex coniectura rerum quam astrorum. Fuit enim sycophanta egregius. Quoties Roma pulsus , in exiliumque acti omnes diminutores ? Nobis antea nullo commodo fuit. Vanitatem hominis æmuli prædicabant ex artis infamia. Postmodum non parum commodi : nulli enim nullo ferè detrimento famæ , sed obseruatis hiis , quæ nunc subiciam. Quæ si quis seruauerit , & ipse citra offensam artem exercebit. Nec minore cum gloria ac vtilitate quam medici nostri , cui suam artem medicam. Longè enim securio-

res sunt astrologorum prædictiones , qui ex hoc libro seruatis his conditionibus diuinabunt , quam cognitio medicorum nostri temporis de morbis , adèd diligenter astrologia hic tradita , adèd oliscitanter medicina tractatur. Primum igitur ad prædicendum ne accedas , nisi perfectè instructus in his quæ hic traduntur , & illis necessariis vt supra ostensum est. Vt quod cognoscat statim cum Planetæ sunt aucti cogni , quod sunt in superiore parui circuli parte , cum diminuti in inferiore , præter Lunam : Et plura prædicendi tecum experimenta feceris. Secundum , vt in prædicendo amoneas timorem , odium , & amorem. Illa enim etiam nolentem errare faciunt. Tertium vt ne artem profitearis in truiis , nec coram populo , nec edas quicquam publicum. Tales enim artem & se ipsos infamia aspergunt , etiamsi vera prædicant. Quanto magis ridiculi fiunt cum falsi deprehendantur ? Quartum ne prædices tentanti , nec dubiam habenti genesisim , nec sine pretio , nec cum exiguo pretio , nec deridenti artem : Nam vilipenditur in omnibus his ars , daturque errandi occasio , cum leuibus laboribus magna prædicere conamur , & inuentu difficilia. Ego bis centum coronatos pro vna genesis perficienda respui. Vide modo an tu me sis exercitator. Quintum ne prædixeris , nisi omnibus diligenter consideratis & bene discussis , ad vnguem vsque. Et ratione habita conditionis hominis , familiae , regionis , legis , ætatis , ac talium. Sextum , homini improbo & malo ne vlla ratione prædixeris quicquam. Ex his sequitur vt ne ignoto : multo minus Principi sæuo. Septimum , in prædicendo soli illi qui te rogat dixeris , non in populum prædictiones diffunde. Nec de minutis respondebis , sed maximis tantum & evidentibus . & breuiter , non vt impleas folia , nec per ambages , nec contradicentia scribas. Sed purè , nitidè , castè , mundè , breuiter , clarè. Exemplum de hoc habes in decima genesis. Octauum , Principi ne magnum malum firmiter vnquam prædixeris : Sed periculum. Nonum , in omni prædictione adice si non se intruserit periculis communium calamitatum. Et si vita debilis sit , si per processus & ingressus intermedios lienerit. Cæterum ipse astrologus sit prudens , mitis , paucorum verborum , ornatus , vestibus nitidus , grauis , fidus , ac probus , & vndequaque boni exempli. Nam artem per sæpe artifex ornat & decorat. Expedit etiam ob multa non permittere vt quisquam sciat quod propriè genesis sit conscius. Conditori autem artis vt Ptolemæo , & nobis ad ostentationè veritatis , artis quædam ex his non sunt necessaria. Sunt etiam quædam his quæ scripta sunt altiora , atque obscuriora , quæ vt diximus , suo loco scribentur. Nam experimento hæc deprehendere licet , quasi his non consentiant ob difficultatem iudicij , consentiunt tamen. De sigillis quoque in tertio de rerum varietate scripsimus. Tot igitur & tanta hic docuisse sufficiat.